



Non minus Rex idem de Filij Principis Philippi matrimonio sollicitus, nulum sibi eligit Margaritam, Caroli Archiducis filiam: petens, ut eam Albertus in Hispaniam deduceret, ibique geminis celebratis nuptiis, suam inde sponsam infantem, in Belgium transportaret. Albertus in Hispaniam cogitans, professionis initium religiosè auspicator. Omnibus namque ad iter comparatis ad Hallensem Virginem salutandam concessit, & de bono ac felici itineris successueam comprecatus, Cardinalatus sui habitum ibidem deposuit. Cæterum in ipso penè itineris procinctu nuntius eum de morte Regis oppressit: sed nihilominus progrediendum sibi ratus, per Niveliam & Namurcum, Luxemburgum contendit. Hinc per agrum Trevirenses, Palatinum, Wirtenbergicum in Baviaræ fines: inde ad Tirolensem Comitatum pervenit: quacunque transierat, munificè hospitaliterque exceptus. Oenipontem transvectus, & aliquot miliaria progressus, Margaritæ Austriacæ occurrit, quæ cum matre Mariâ Bavarâ, & quingentorum hominum comitatu, è Pannonia superiore venit. Coniunctis itaque copiis Tridentum petentes, Venetorumque ditiones prætergressi, reliquum, quod supererat ad Ferrariam iter, multis passim civitatibus lustratis, perficiunt. Ferrariæ Pontifex Clemens VII. primò Albertum Archiducem Austriæ, nomine ac mandato Philippi III. Regis Hispaniæ, cum Margarita novâ Reginâ: Ducisiam verò de Sessa, nomine ac mandato Isabellæ, cum Alberto Archiduce Austriæ: summâ ceremoniarum festivitate conjungit ac copulat: pompâ nuptiali tridui spatio, plurimorum spectaculorum varietate, splendidissimè peractâ. Post celebratas imaginarias hæc nuptias, Mantuam: Mantuâ per Cremonam Mediolanum contendunt, iter hîc suum aliquandiu inhibitori, donec, quid Rex fieri veller,